



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von

Egræ, 1687

Philippica 21. in Mariæ-mastiges.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

PHILIPPICA XXI.

In MARIÆ mastiges.
DOMINICA Eadem.

Beatus Venter qui te portavit, & ubera, quæ suxisti. LUC. II. V. 17.

S. I.
In viro-
rum con-
fusione
per mulie-
res lauda-
tur Deus
1. Reg. 18.
v. 6.

Blasphe-
mant Phari-
sæi Dominum, tacent
discipuli, liberatus à
dæmonio obmute-
scit, & heus! una vo-
cem extollit mulier,
ad laudes Christi vulgandas. Sicut
laudes Davidis post Goliatum supe-
ratum, cum viri non celebrarent,
mulieres in tympanis & choris con-
cinuere; ita cum præconia Christi
tacerent Apostoli, mulier depræ-
dicavit in virorum opprobrium,
qui inhumano absterriti respectu
laudes Domini sub rosa arrodi
permisere. sicut iudicum tempore
unica mulier Debora prophetiæ
dono claruit, quod dono hoc viri
indigni forent, ita cum Pharisæi ef-
ferre Christum laudibus dedignaren-
tur, extulit vocem in laudes mulier,
quæ sola digna fuit encomia stem-
Christi agere: *Debora in contumeli-
am virorum, prophetiæ donum ade-
pta est*, inquit Theodoretus q. II. *nam
cum ex viris nullus inveniretur di-
gnus, qui spiritum sanctum prome-
reretur, hæc donum sanctissimi spiri-
tus est consecuta.* Virorum certe est
contumelia, quod laudes Iesu tace-
ant, quas femina spiritu sancto ple-
na enuntiat. Resurgentem à mor-
tuis Dominum mulieres annuntiare
iustæ sunt: *ite, dicite discipulis ejus.*
Marc. 16. v. 7. ut erubescant viri non
quærere, inquit D. Hieronymus,
quem jam fragilior sexus invenerat.
erubescant viri non laudare MARIÆ
filium, quem fragilis mulier elata

S. Hieron.
in prolog.
Sophon.

voce deprædicat, & Matrem in Fi-
lio, Filium in Matre commendat. ob
quam ingeniosam laudandi ratio-
nem D. Athanasius dignam hanc
mulierem esse censet, quæ vicissim
à Seraphinis, Cherubinibus, Thronis-
que celebratur: *benedictionibus te ce-
lebrat prima acies, quæ ex Thronis,
Cherubinibus & Seraphinis constat &
magni Regis cognitores appellantur.*

Nimirum benedici illa lingua
meretur, quæ benedicit Mariam,
cum neminem in scripturis reperi-
re sit, qui Matrem Iesu benedixerit,
sive Angelus fuerit sive homo, &
non reciprocè meruerit commen-
dari. Gabrielem Arch-Angelum
intelligo, Elisabetham Spiritu San-
cto plenam indigito, Simeonem ap-
pello, an non singularibus singuli
laudibus à spiritu Sancto donati? Be-
nedicantur quotquot Mariam be-
nedicunt, maledici & diris devove-
ri æternis merentur, quicumque
malè sentire vel loqui de ea impu-
denter præsumunt; contra quos
vocem hodie extollam, & in male-
dicos Mariæ mastiges, optimè me
dixisse putabo, cum malè, imò pes-
simè iisdem dixerò.

Credámne inter Christiadas vel
unum reperiri, qui fide verà imbu-
tus eaque instructus de Deiparæ
excellencia, cognitione, quam fa-
na Religio cum lacte instillat, adhuc
tamen illam non æstimet, nõ amet,
non glorificet, sed negligat, oderit,
contemnat? illam pulcherrimam
mulierum, prudentissimam virginum,
gene-

S. Athanas.
orat. de B.
MARIA.

S. 2.
Excellen-
tia DEI-
paræ.

generosissimā heroinarum munificentissimā Reginarū, illā primævæ pulchritudinis absolutam imaginē, primariū sumi opificis opus, principes delicias Deitatis: illud cœleste prodigiū, & sacratissimū spectaculū

S. Ignatius

Ignatio Martyri, cœli terræq; mysterium & stupendum miraculum

S. Epiphanius de laude Dei.

Epiphanio, miraculum omnium miraculorum & abyssum miraculorum Joāni Damasceno. Utinā ad scholam Doctoris Angelici adducere

S. Joannes Damascenus serm. 1. de Nativitate.

possem omnes, qui ignorant Mariæ excellentiam, ut audiant docentē: *rationabiliter creditur, quod illa, quæ genuit unigenitum à Patre, majora præ omnibus alijs privilegia gratiæ accepit*, quò magis res aliqua suo appropinquat principio, eò magis de illo participat. lucidior est suprema regio aëris, quàm infima, quia foli vicinior; purior aqua est, quæ scaturigini propinquior; quò quid vicinior igni vel lumini est, eò magis calet vel lucet; in ecclesiastico pariter ac politico statu, quò quis vicinior Pontifici vel Cæsari est, eò & dignior censetur. Cùm itaque inter omnes omnino creaturas propinquissima Deitati sit Humanitas Christi, Humanitati verò maternitas Mariæ (ex hac enim humanitas est assumpta) negari non potest Mariam præ ceteris omnibus puris creaturis copiosius de Deitate tanquam de fonte omnium gratiarum, privilegiorum & excellentiarum participasse. Tam excellens est Maria, ut, teste eodem Doctore, infinitam quantam dignitatem contineat, quia melior ac dignior Mater esse non potest, quàm Mater DEI sicuti DEO nihil potest esse majus, sublimius, perfectius: *non est factum tale opus in universis regnis*, non est perfectione, præstantiâque Mariæ ulla similis in omnibus creaturis. Et audebit spurcissimus aliquis syco-phanta minores huic creaturæ de-

S. Th. p. 3. q. 7. a. 9.

ferre honores, quàm calceamentis Christi detulerit is, quo inter natos mulierum non surrexit major? digni honore calcei Christi sunt, quia in eis Rex gloriæ incessit, & eo quidem honore digni, ut indignum se ad eos portandos Baptista censeat; digna honore Arca fœderis est, quia pro suo eam Deus scabello habet: *adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est*; & præ scabello Dei ac calceis Christi honores mereri dubitabimus illam, quæ Filium Dei suo gestavit in corpore, suâ vestivit carne ac sanguine, lactavit pleno de cœlis ubere, educavit impensis ac labore? nã is Filio injurius est, quisquis injurius in honorem est maternum; questus contra nefarios judæos ante mortem suam Homo Deus est: *oderunt & me & Patrem meum*. Ioan. 15. v. 24. pari propè verborum energiâ adversus Christianos suos queretur: *oderunt & me & Matrem meam*, non potest speciosum formâ præ filiis hominum amare Iesum, qui pulchræ dilectionis matrem odio habet, non honorat Dominum, quî Ancillam, imò Matrem charissimam dehonorat; *si honor is, qui conser-vis habetur, benevolentiam erga comunē Dominum declarat, quo tandem modo* (exclamat pro Virgine Deipara Damascenus) *studium te honorandi, quæ dominum peperisti, negligendum erit?* scimus quanto honore Angelicos Spiritus Patriarchæ veteris testamēti, puta Abraham, Jacob, Moyses, Josue, Manue, Gedeon, profecuti sint, & proni in terram adoraverint; an non æquum erit honore si non ampliore, certè æquali Reginam Angelorum afficere, quam supremi Angeli infimis demereri obsequiis gaudent, suarūque ducunt partium, ministrare quotidie, pascere & invisere, in Solymæo templo parvulam, ut docent SS. Am-

3. Reg. 10.

O3

brofi-

pl. 98. v. 5.

S. Joannes Damascenus orat. 1. de dormit. Virg.

brofius, Hieronymus, Gregorius Nicomed. aliique, falute prævenire desponfatam, mortuam triduanâ ad sepulchrum hymnodia celebrare, parietes ipsos, quos Nazareti incoluit, quartum transportare, Reginam cœli canoris vocibus ad avertendam ab urbe cladem decantare, denique nihil obsequiorum omittere, quibus excellentiam Marianam deprædicent, & affectum studiûmque suum erga universorum Dominam ac Reginam contestentur. Quàm parum de Angelico habent genio, qui debito supremam Imperatricem homagio defraudant.

§.3.
Clementia
Deiparæ.

Elof. spec.
s. 12.

Quod si incomparabilis excellentia Virginis ad syncerum te amorem non inflammat, urgeat saltè piissima ejus erga omnes benevolentia, quæ tanta est, ut major sub Deo esse nequeat, atque ut Ludovicus Blofius loquitur, *citiùs cœlum cum terra perierit, quàm ipsa aliquem serio se implorantem suâ ope destituat.* experiuntur opem illius non probi modò, sed scelerati, sed judæi, sed Turcæ, sed vilissima & sanguineo chirographo obligata dæmoni mancipia. Notus est Theophilus Adanensis Ecclesiæ œconomus, qui & chirographum suum ope Virginis post quadraginta dierum poenitentiam recepit & postriduo felicem in laudibus Dei ac Deiparæ exhalare animam meruit. Expertus clementiam Virginis est Bassa Turcicus Corcutus à fatali apostemate & proximo vitæ periculo post factum ad Divam Lauretanam svasu mancipij sui christiani votum, momento liberatus anno 1557. expertus hebræus apella sexagenarius, ob grave facinus à Turcis comprehensus & perpetuo carceri mancipatus, quem tamen invocata Deipara vinculis & carcere exemit, ad mare deduxit, naviculam inscende-

re iussit & intrâ biduum Nazareto, ubi natus & educatus atque etiam captivatus fuerat, Anconam atque exinde Lauretum per Angelorum manus transmisit. plena sunt similium historiarum volumina, quibus qui fidem parciùs adhibet, sit utinam & ipse inter exempla. Maneat interim inconcussa (quia quotidianis experièntiis confirmatissima) illa D. Bernardi in *signum magnum* sententia: revolve diligenter Evangelicæ historiæ seriem universam, & siquid fortè increparium, siquid durum, siquod denique signum vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, de cetero, suspectam habeas & accedere veraris. nihil austerum in ea, terribile nihil, tota svasis est offerens lac, & lanam. Maria omnibus omnia, facta est, sapientibus & insipientibus copiosissimâ charitate debitricem se fecit. omnibus aperit, misericordiæ sinum, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, tota denique Trinitas gloriam, est ne ipsa sole amicta mulier? nimirum ea est, quæ velut alterum solem induit sibi, sicut enim Sol super bonos & malos indifferenter oritur: sic ipsa præterita non discutit merita, sed omnibus sefe exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu.

Et nondum ista cor nostrum ad teneram commovent pietatem, necdum ad debitas Mariæ laudes accendunt? Confundat ergo ignaviam nostram Turcarum antesignanus Mahomet, qui in alcorani sui Azorara l. & c. 75. ita scripsit de Virgine: *præter MARIAM IESU Nazareni Matrem nulla unquam fuit*

§.4.
Laudes
Marianæ
ab ipsis ho-
stibus.

fuit mulierum per omnia perfecta & absoluta. Nullus nascitur de filijs Adam, quem non tangit Satban, præter Mariam & ejus Filium. Felices igitur tantæ Matris filios, quibus humani generis hostis nullum adferre potest nocumentum. Confundat tepidos in Mariæ laudem catholicos hæreticus Bucerus & OEcolumpadius, quorum ille hæc de Deipara consignavit: *pious animus de Maria non nisi sanctissima cogitabit & Matre Dei digna..iste verò serm. de laud, Virg. nunquam de me audiat, quasi averter Mariam, erga quam minus bene affici, reprobata mentis certum existimo indicium esse. Nollem è cultu Mariæ aliquid diminui. Sicut homini communicantur omnium creaturarum dignitates, ita ista omnium humanarum excellentiarum particeps fuit.* Legatur & hæresiarcha germaniæ nostræ primarius in commentario super Magnificat. quamquam Platonius hic mulus, quidquid lætis, quidquid laudum in Virginis favorem collegit, excusso petulanter calce effudit, cum sermone de Nativitat, Deiparæ effutit: *omnes christiani æquè magni sumus, sicut Mater Dei, & æquè sancti.* Sed hæc non hominis, sed dæmonis, imò nec dæmonis censeris vox potest, cum innumeris constet exemplis dæmonem honorificentissimè in multorum orthodoxorum confusionem de Matre altissimi locutum fuisse. Nuper in Arragonia adjuratus à religiosissimo ex ordine prædicatorum Sacerdote dæmon & jussus edicere, quid de Deipara, immaculata præsertim ejus conceptione sentiret, voce contentissimâ exclamavit: *væ, væ, væ* malè de Deipara sentientibus & de conceptione ejus immaculata detrahentibus. Si his *væ*, pro quantum aut quale *væ* tibi impie Luther, vobisque omnibus nequissimi

Mariæ mastiges, qui dupliciter Filium offenditis, quoties sanctissimam ejus Parentem blasphemâ linguâ impetitis, experturi aliquando vindicis iram, qui Matri suæ dixit: *opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* non irritatur facilius cælorum Rex, quàm cum Regina laceffitur, & illud Assueri contra Aman implacabili furore pronuntiat: *etiam reginam vult opprimere.*

Hinc est, quod viscera Arrius effundat; Nestorij blasphema lingua foedissimè verminet; Constantinus Copronymus adhuc vivens igni inextinguibili tradatur; princeps Germaniæ Apostata à dæmone stranguletur; Calvinus à pediculis devoretur; Zuinglius hastâ transfixus absque pœnitentiæ signo terram instar leonis mordeat; Anatholium lupi distrahant; crocodilus Indum irrisorem devoret; aliter alij miserrimè omnes in suæ pœnam blasphemæ intereant. Quid? quod ipsamet Deipara misericordiæ Mater & sinè felle columbula ultionem in scelestos aliquando sumpserit, etsi non absque insignis clementiæ temperamento. erat Heliopoli mimus quidam Gajanus nomine, qui intaminatam Deiparam multis laceffens probris risum populo movebat, cui clementissima Virgo aspectabilis facta in has voces locuta est: *quid tibi mali feci, quia coram tanta multitudine mihi detrahis & blasphemias me? ille verò non solum nihil compunctus est, sed dicacius quàm antea Matrem Verbi perstrinxit. Apparuit denuo clementissima regina dicens: noli quæso, noli ita lædere animam tuam. Sed neque hoc verborum lenocinio durum pectus emollit, enormis enim ac unquam blasphemiarum plaustra in Reginam gloriæ congerebat. unde & tertio eidem apparens eadem repetebat, fructu*

ps. 68. v. 10

Ester. 7. v. 8.

§. 5. Pœnæ Mariæ castigū breviculè infinuantur.

Prat. spiri. c. 4. Pet. Canif. l. 5. de Deipara c. 20.

Theophil. Raynaud. t. 8. fol. 336.

non dispari, ergo ter correptum & nequidquam correctum, sed in blasphemijs magis obfirmatū quartum invisens, cum is meridiano indulgeret somno, verbulo non prolato, mimi manus pedesque digito signavit & evanuit; evigilavit iste & manibus pedibusque truncum sese reperit & quam clementer ob suas cruciaretur blasphemias palam enarravit, O si plures ejusdem sceleris complices virginea hodie manus signaret deq; inutilibus truncis frugiferas arbores & facundos laudum suarum Mercurios efformaret!

§.6.
Objectio-
nes solvū-
tur.

At dices: si tantæ sanctitatis gloriæ ac præeminentiae Maria est, cur tam rara in scripturis ejusdem mentio? cur in Canæ nuptijs non sine verborum acrimonia repellitur: *quid mihi & tibi mulier?* cur nunquam matris titulo à Filio ornatur, sed *mulier* duntaxat appellatur: *Mulier ecce Filius tuus*. Cur Matre beatiore in hodierno Evangelio nuncupantur, qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud? cur non illa, sed discipuli Matris titulo extolluntur: *qui fecerit voluntatem patris mei, ille meus frater & soror & mater est?* hi sunt præcipue Mariomachorum arietes, quibus se coelum quater & reginam coeli in probrorū abyssum detrahere posse putant. At insana malevolorum deliria! Rara in Evangelijs Mariæ fit mentio, quia tunc temporis minimè necessaria; suspecta namque laus Matris fuisset, si ab ore filij, quem cane & angue pejùs oderant judæi, prodisset; utilitati potius nostræ, quàm honori suo, piissimus Salvator consulere voluit, ut maternis superfedendo laudibus à nimio consanguineorum & familiarium amore atque præconio affectus suos abstraheret. Ingeniosè Andreas Cretensis dixit: *solus Dei est Mariam Virginem pro meritis di-*

Matth. 12.
v. 50.

laudare, ideò calamis suis diffisi Evangelistæ silentio eā potius, quàm verborum calamistro, prædicandam censuere. cogitârint sinè dubio de ea plurima, sed scripsere, paucissima, quia, ut S. Thomas Villanovanus loquitur: *multa quidem cogitare possunt & homines & Angeli, laudem verò condignè nunquam satis declarare*, nimirum magnorum non est laus sed admiratio, ut docent philosophi, sicut Deus silentio coli mavult quàm loquacitate, nam *tibi silentium laus, Deus in Sion* ps. 64. v. 1. juxta versionem Hieronymi, ita & matrem suam silentio potius, quàm linguâ duxit honorandam. *Laudat idoneè homo tacendo, quod idoneè comprehendere non valet*, inquit Gregorius l. 9. moral. Repulsam Canæ ferre videtur & verborum acrimoniam pati, at credamus Eusebio Emiseno: *ipsi se intelligebant, ipsi sua secreta novebant, ipsi quid tunc fieri oportebat, & quid postea futurum sciebant*. Sacramentum hoc fuit non convitium, ut eleganter insinuat D. Augustinus: *certi sacramenti gratiâ videtur Matrem, de qua sponsus processit, non agnoscere & dicere illi: quid mihi & tibi*. Sacramentum hoc clariùs exponit Abbas mellifluus: *ut quid sic respondebat? utique propter nos, ut conversos ad Deum jam non sollicitet cura carnalium parentum & necessitudines illa non impediunt exercitium spirituale*. Similiter Richardus Victorinus: *propter nos responsio illa data est instruendos, ne ad parentes nimium afficiamur, sed solum Dei spectemus gloriam*.

Quòd beatiore hodierno in Evangelio dicantur, qui Christum mente conceperunt, nihil maternis laudibus detrahit, sed plurimum addit, uti venerabilis Beda differuit: *pulchrè Salvator attestationi mulieris annuit, quia & eadem Dei Geni-*

Emiss. ser.
in Dom. 2.
Epiph.

S. August.
in Ioan.

S. Ber. ser.
2. in Do-
minic. 2. Epiph.

Rich. l. 3.
de laud.
Virg. c. 10.

Genitrix exinde quidem beata; quia Verbi incarnandi ministra facta est tēporalis, sed inde multo beatior, quia ejusdem semper amandi custos manebat aeterna. Similiter doctissimus Cajetanus: magis commendata est beatissima Virgo in genere tamen per hæc filij verba: quin imò beati, qui audiunt verbum DEI & custodiunt illud, quàm fuerit in specie commendata per verba mulieris, quoniam in verbis Iesu laudata est ex parte animæ, in verbis verò mulieris, laudata est ex parte corporis. Non concepisset Maria Deum ventre, nisi prius concepisset mente; sicut enim non decuit naturam humanam nisi pulcherrimè atque incomparabiliter decoratam assumi à Verbo, ità nullatenus decens fuit personam humanam effici Dei Matrem, nisi speciosissimè & gloriosissimè virtutibus omnibus ornatam, quibus Deum mente prius, quàm ventre conciperet. nimirum antequam parturiret; peperit If. 66. v. 7. antequam corpore conciperet, corde conceperat, cum virgineo ore dixit: Ecce Ancilla Domini fiat mihi.

Similiter cum Salvator eo tempore, quo de regno Dei differebat, maternæ admoneretur præsentia, aptissimè interpellatori respondit: *quæ est Mater mea, & qui sunt fratres mei?* illi, qui sermonem Evangelij, parentes añuntiando interrumpibat, meliùs respondere non poterat, inquit Guarricus Abbas serm. 24. de Assumpt. ut scilicet spiritualia carnalibus præferenda Christus monstraret. Tertullianus & ex eo Cyrillus Alex. ex utroque D. Ambrosius, ideo verba hæc: *quæ est Mater mea*, à Christo prolata existimat, non quòd genitricem & consanguineos non cognosceret, quos reverentissimè colebat, sed ut synagogæ mysterium repræsenteret, eamque à se ignorandam propter

divini contemptum Verbi doceret. Loquatur Christianus Tullius: *figura synagogæ in Matre abjuncta, & judæorum in fratribus incredulis. Foris erat in illis Israël: discipuli autem novi intus audientes & credentes & coherentes Christo Ecclesiam delineabant, quam potiozem matrem & digniorem fraternitatem recusato carnali genere nuncupat.* Non abnegat Christus matrem, sed in ea tanquam humanæ salutis cooperatrice & adjutrice sua in redemptione generis nostri, synagogam delineat, Mariam verò duplici sibi nomine Matrè esse ingeniosè insinuat, prout observavit Simon Cassianus: *quæ est Mater mea? cogno-vit duplicem Matrem, carnem videlicet, quia verè sic erat, & spiritum super omnes animas, quoniam per amplius voluntatem Dei ipsa perfecerat. in qua maternitate perfectiùs Virgo profecit, quàm illa quæ solum est carnis, magisque in illa grata facta Filio, quàm in illa per quam ipsum gesta-vit in alvo.* Hæc Cassianus.

Denique mulierem potius vocat, quàm matrem ad præcavendum erroribus posterorum, nè Deam esse crederet Dionysius, nè Deam adorarent Collyridiani hæretici. Colligi potest ex mente S. Augustini tr. 8. in Ioannem: *dicitur autem mulier secundum fœmineum sexum*, & D. Epiphaniij verbis hæres. 75. revera sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus; revera Virgo erat & honorata, non tamen ad adorationem nobis data. Propterea Evangelium munit nos dicens, quòd Dominus dixerit: *quid mihi & tibi curæ est mulier? velut prophetans quæ futura essent in terra, ut nè aliqui nimium admirati sanctam, in hanc hæresim (de Collyridianis loquitur, qui Deiparæ divinos honores & latriam deferebant) ejus deliramenta labantur.*

P

Mu-

Dionys.
Cassianus i.
nitio l. i.
de laud.
MARIÆ.

Cassian. l.
1. c. 26.

Tertull. de
carn. Chri-
stic. 7.

Mulierem vocat, quia juxta Tole-
tum communi loquendi modo ma-
tres mulieres vocabantur: *nunquid
oblivisci potest mulier infantem suum*
If. 49. v. 15. *mulieres*, id est matres,
conspargunt adipem Ierem. 7. v. 18.
Mulierem vocat, ut indicet, hanc
esse illam mulierem, cui propter
excellentiam id nominis competit;
illam inquam mulierem, de qua
Genes. 3. v. 15. *ponam inimicitias inter
te & mulierem & ipsa conteret caput
tuum*, illam mulierem, quam sapi-
entissimus regum inquisivit: *mulie-
rem fortem quis inveniet, procul &
de ultimis finibus pretium ejus*. illam
mulierem, de qua Siracides: *ubi non
est mulier, ingemiscit egens*; illam mu-
lierem de qua proverbialiter Salo-
mon: *qui invenit mulierem bonam,
invenit bonum & hauriet jucundita-
tem à Domino* proverb. 18. v. 22. Mu-
lierem vocat propter nos instru-
dos, inquit Richardus Victorinus
cit. Rupertus l. 2. in Ioan. *fecit ipse
prior, quod nobis faciendum præce-
pit, præcepit autem ei, qui sese dignus
esse cupit, ut propter evangelium pa-
trem & matrem relinquat, & renun-
tiet omnibus, quæ possidet. hoc igitur
primus ipse fecit*. Mulierem vocat,
quia constituebat eam nobis in ma-
trem, si enim Alexandro ab Ale-
xandris fides, mulieres vocaban-
tur, quibus multi obtigerunt libe-
ri. huc alludere videtur Bernardus
ferm. de aquæ ductu: *Christus fra-
ter tuus est & caro tua, hunc tibi fra-
trem Maria dedit*. Benedictus fra-
ter, exclamat D. Bonaventura in-
spec. per quem Maria est nostra ma-
ter. & benedicta Mater, per quam
Christus est noster frater. Eva quia
mater viventium futura designa-
batur, mulier in paradiso appella-
tur, quidni & secunda Eva ter me-
lior primâ vocetur ab Adamo se-
cundo Mulier, quæ omnium ele-
ctorum mater fuit constituta: *quis*

prov. 31. v.
10.

Eccl. 26. v.
27.

*perfectus est & in quo vivit Christus,
de eo dicitur Maria: ecce filius tuus.*
Origenes in c. 19. Joan.

Finiat Venerabilis Beda verbis
suis: *& nos igitur extollamus vocem
cum Ecclesia catholica, cujus hodierna
mulier typum gessit, extollamus &
mentem de medio turbarum, dicamus-
que Salvatori: beatus venter, qui te
porta-vit & ubera quæ suxisti*. Non
peccabimus in hæc ubera, non pec-
cabimus in hæc misericordiarum
viscera. peccatis ceteris amarius
videtur non amare, sed ut ita dicam,
amaricare Marianæ viscera pieratis.
Queritur miserandus Job, scribi
contra se amaritudines, seque con-
sumi peccatis adolescentiæ. quæ-
nam illa adolescentiæ peccata,
quænam amaritudines? ex adole-
scentis prodigi parabola elucefcet
veritas. Amarissimè ingemiscit ille
& illachrymatur, quòd in cælum &
in Patrem deliquerit: *peccavi in cæ-
lum & coram te*. prius dolet de pec-
cato in cælum, quàm in patrem. in
patrem quòd peccaverit, nimis
quàm manifestum est, at non liquet
qua ratione in cælum se dicat pec-
casse, cum neque per cælum pe-
jerasse, neque blasphemiam protu-
lisse verbulum legatur. Quid si cæ-
li nomine prodigus adolescens re-
ginam cælorum intellexerit, quam
sua pro matre colere debuerat, at
neque obedivit, cum in paterna do-
mo petulciret, neque vale huic di-
xit, cum in regionem longinquam
peregre abiret. hinc illæ lacrymæ;
peccavi in cælum. MARIA cælum est
*vivum, cælum mirabile, cælum splen-
didum incomprehensum*, ut loquan-
tur Damascenus, Epiphanius, Phi-
lippus Abbas aliique; Cælum voca-
re rectè possumus Mariam, inquit
Labata, in quo Filius Dei homo fa-
ctus visione beatificâ frui cœpit,
cum primum enim in Maria car-
nem assumpsit, Dei essentiam vidit
In.

§. 7.
Peccare in
Mariam
est pecca-
re in cæ-
lum.

Job. 13. v.
26.

Luc. 15. v.
18.

In hoc cœlum peccasse se dolet prodigus, & consumi se peccatis adolescentiæ conquerens Jobus personam eorum repræsentat, qui in adolescentia sua Mariam debito cultu & amore prosequi negligunt, & nescio quam Helenam, Magdalenam, Lenam pulcherrimæ mulierum castissimæque Virginum anteponunt, digni certè contra quos scribantur amaritudines, quia amores Mariæ dulcissimos averfantur & amarissimas potius Veneris

dulcedines venantur. Non simus degeneres & prodigi, non simus cæci & fatui, sed totis præcordiorum affectibus, totis cordium medullis MARIAM amemus, prædicemus, veneremur, quia hæc est voluntas ejus, qui omnia nos habere voluit per MARIAM.

* * *
* *
*



PHILIPPICA XXII.

In parcos & immisericordes erga pauperes
DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ

Unde ememus panes, ut manducent? Joann. 6. v. 5.

S. I.
Pauperes
Christo
chari.

Ræcipuè semper curæ Christo fuisse pauperes, ex plurimis ejusdem dictis, factisque indubitatum est.

Cum Ioannes in vinctulis discipulos suos ad IESUM misisset quæsitum: an is verè Messias esset? respondit operibus magis quàm verbis: *cæci vident, claudi ambulat, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* supremo loco pauperes posuit, quia ut ex Hieronymo observavit Beda apud Sylveiram tom. 3. pag. 165. non minus est pauperes evangelizare, quàm mortuos suscitare: *his non minus est pauperes Evangelizare.* Pauperes in beatorum ordine primo loco collocavit: *beati pauperes spiritu.* pauperes vicarios suos constituit: *quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis mihi fecistis.* pauperes multiplicato

per miraculum pane iteratò satiavit, Ioannis 6. & Marc. 8. ubi insuper verbis apertissimis cordis sui tenentitudinem abundè demonstravit inquam: *miseror super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent, quòd manducent.* è quibus verbis, triplex elucet misericordia, cordis, oris, & operis, quàm in paucis est reperire, ut & stipem non rogati conferant, & stipi benignum verbum vultumque adjiciant, & ex imis misericordiæ visceribus miseriæ egenorum condoleant; quin potius reperire quàm plurimos hodie est, qui cum parca manu erogant stipem, copiosum maledicentiæ imbrem in egenos depluunt, increpant, exprobrant, durioraque verberibus verba in eosdem conjiciunt, prout eos proverbialiter, descripsit Salomon: *cum obsecrationibus loquetur pauper, & dives esfabitur rigide.* contra quos rigidos

Matth. 11.
v. 5.

Matth. 5.
v. 3.

Matth. 25.
v. 40.

Prov. 23. v.
23.

P 2

mise-